Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

di: i. thi. iiii. Exerce teipsum ad pietatem. Corporalis
enim exercitacio ad modicum utilis est. pietas autem ad omnia
utilis etc. ubi dicit glossa quod ista pietas consistit in cultu
dei et operibus misericordie quia omnis summa christiane discipline in
hiis duobus. sed in pietate et misericordia adhuc consistit quod quia
ista duo sequitur in libidini carnis parum vapulabit
quidam non tamen proibit. ista igitur obediencia et mandatorum
divinorum que consistit in castigacione corporis regulata et super
fundata per pietatem mentis in tempore tribulacionis invenies vi cum
dicit: Mandata tua meditacio mea est etc. De oracione vero cordis
dirigit fides et pietas fidei divinarum promissionum super
consolacionibus et revelacionibus tribulacionum. de qua pietate
fidei statim subiungit dicens. Equitas testimonia tua in eternum
etc. Unde Augustinus de verbis domini xxxvi. super illud: vigilate et ora-
te ut non intretis in temptacionem dicit: Orandum est in tribulacione ne intrandum
in temptacionem. Sicut autem est in temptacionem intrare et a fide
exire. ut tamen cum temptacio perficiat. nequaquam fides deficiat. Re-
ligionum igitur quod est fides modica. Mathei xiiii. Modice fidei
quare dubitasti. Et est fides magna. Johannis xv. O mulier
magna est fides tua. fiat tibi sicut petis. Et est fides maxima
Luce vii. Non inveni tantam fidem in Israel etc. Cum tu istis
respicias. Et est fides summa. Marci viii. Habete fidem dei.
Amen dico vobis quia quicumque dixerit monti huic tolle
et mittere in mare etc. Unde orandum est ne fides deficiat
et ut fides proficiat et ut augeatur et perficiatur. Augustinus
ibidem. Est fides modica. est fides magna. Nam si
nulla esset fides quis eciam intraret quando plenam vide-
ret fidelibus. Et si non esset fides in maxima quis montes
non transferret etc. De pietate igitur fidei et muniacionis intellectus
que est premium fidei quam ambo scilicet fides et intellectus dirigunt
oracionem ad rectitudinem. statim subiungit dicens. Equitas

Equitas testimonia tua in eternum
... est prima ... pietatem fidei que ad
rectitudinem dirigit oracionem et castigacionem in tribulacione
dicens. Equitas testimonia tua in eternum quasi diceret. Si mandata
tua et observancia mandatorum tuorum est meditacio mea et

mentalis exercitacio in tribulacione quia per fidei pietatem
credo sacio et teneo tuorum testimoniorum et promissorum certita-
tem que equitas consideranda dirigit me contra rectitudinem
oracionis in tempore tribulacionis quia ante oracionem per tribulacionem
oradum est per ipsa oracione gracia impetranda ut digne
et utiliter oretur. Ecclesiastici xviii. Ante oracionem prepara
animam tuam et noli esse sicut homo qui deum temptat etc. De
digna et utili oracione in tribulacione. Require supra littera vi.
v. iiii. Equitas testimonia et promissa tua. scilicet con-
tinua consolacione et revelacione in tribulacione. Sed cum et vita
et quia tribulacio est mors vite et vita peccati quia quot tribulacio-
nes tot mortes. Psalmus. Propter te mortificamur tota die
etc. Ideo da mihi intellectum post fidem tamquam fidei premium
ad cognoscendum equitatem testimoniorum et promissorum tuorum
et vivo vivam. scilicet vita spei et consolacionis in tribulacione. Notandum — Equitas divina
igitur quod ista equitas divina attendit quantitatem et tempus et
qualitatem tribulacionis et consolacionis sive revelacionis
ad tria. scilicet ad debitum esse ad vires pacientis et ad meritum
gracie. Primo igitur attendit ad debitum esse quia secundum quantitatem
et qualitatem et tempus cause propter quam deus tribulaciones
immittit vel permittit mensurat quantitas et qualitas
et tempus tribulacionis et pene. De quantitate dicit Apocalipsis xviii
Quantum glorificavit se et in deliciis fuit tantum date
illi de tormento etc. Judicum i. Sicut feci ita reddidit
mihi deus. De tempore dicit Danielis iiii. Septem tempora mutabuntur
super te donec scias quod deus excelsus dominetur super regnum
hominum etc. Iste septenarius primo est per tempus humilitatis
usque ad recognicionem vel per tempus retribucionis usque ad
satisfactionem. Psalmus. Usque quo domine oblivisceris mei in finem
usque quo exaltabitur ~~exaltabitur~~ inimicus meus super me etc. Unde
et Daniel distulit oracionem pro captivitate usque dum intel-
lexit ex propheta Jeremie. expletos esse lxx annos deso-
lacionis Jerusalem sicut dicit Danielis ix. Secundo ad vires pacientis
Job vi. Neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea. neque
caro mea enea est. i. Cor. x. Non patietur vos deus
temptari ultra id quod potestis sed faciet cum temptacione